



## Quid dicat ratio humana de Communione necessitate.<sup>1</sup>

Plerumque libris manualibus theologiae dogmaticae et moralis traditur, Communionem non esse medium necessarium ad vitam spiritualem sustentandam, eam non habere talem necessitatem medii, sed tantum necessitatem praecepti, praecepto secluso posse gratiam sanctificantem diu et per totam vitam sine Communionem conservari. Nobis e contrario tenendum esse videtur, sine illo cibo mystico vitam spiritualem diu sustentari non posse, sicut nec sine cibo naturali vitam naturalem. Censemus hanc doctrinam esse veram, illam autem, qua tantum necessitas praecepti admittitur, erroneam. Adversatur enim s. Scripturae, praesertim Jo 6, 54. Sollemniter ibi Christus declarat: »Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.« Concedunt adversarii, agi ibi de s. Communionem. Concedunt etiam, exprimi Communionem necessitatem. Contendunt autem, exprimi necessitatem non medii, sed tantum praecepti. Iam vero evidens est, hoc non posse stare. Christus enim loquitur de pane vitae, qui det vitam, quo vitam habeamus, quo maneamus in illo, et ipse in nobis, quo vivamus, sicut ipse vivit per Patrem. Hoc autem modo manifeste exprimitur necessitas medii, non tantum necessitas praecepti. Consentit tota Traditio, quae illum locum de necessitate medii explicat. Habent igitur illi contra se et s. Scripturam et Traditionem. Conantur suam opinionem fulciri argumentis ex ratione depromptis. Videamus quae ad hunc finem allata sunt. Respondebimus, ni fallor, ita, ut argumenta illa prorsus inania esse appareant. Postea autem econtra argumenta aliqua ex ratione afferemus ad s. Communionem necessi-

<sup>1</sup> Agimus hic de thesi prima ex illis thesibus sex, quas Bogoslovska Smotra XII. (1923.) p. 51 s. distinximus.

tatem medii (ad perseverandum) suadendam. Apparebit etiam hac in re, illa quae in revelatione habentur, esse rationi sanae valde convenientia.

### I. Refelluntur rationes adversariorum contra s. Communionis necessitatem medii (ad perseverandum).

**D i s c u n t 1<sup>o</sup>:** Parvuli salvantur, si baptizati sunt, adulti salvantur si sacramentum poenitentiae receperunt. Ergo tantum illa sacramenta sunt de necessitate salutis, tantum illa de necessitate medii.

**R e s p o n d e o:** Tantum illa sacramenta sunt de necessitate salutis, de necessitate medii, si abstrahitur a perseverantia, c o n c e d o. Tantum illa sacramenta sunt de necessitate salutis, de necessitate medii, si agitur de perseverantia in adultis, n e g o; ad perseverandum est Communio de necessitate salutis, de necessitate medii.

**D i c u n t 2<sup>o</sup>:** Sunt alia media ad perseverandum!

**R e s p.:** Sunt illa media, quae cum Communionem etiam ad hunc finem conferunt, et etiam necessaria sunt, uti oratio, exercitium virtutum, c o n c. Sunt alia media, quibus sine Communionem perseverari possit, n e g o. Nam Christus talia media nescit; secus enim non dixisset: »Nisi manducaveritis carnem Filii hominis... vitam non habebitis«. Neque Traditio talia media scit; secus enim non cibum eucharisticum quoad necessitatem cibo materiali equiparasset.

**D i c u n t 3<sup>o</sup>:** Cibum eucharisticum non est unicus cibus spiritualis, sed sunt etiam alij v. g. doctrina christiana. Potest igitur talibus cibus vita spiritualis sustentari sine illo.

**R e s p.:** Sed Christum hunc cibum, cibum eucharisticum necessarium esse declarat. Et Traditio **hunc** cibum quoad necessitatem cibo materiali equiparat. Caeterum non est aliqua res, quae cibus spiritualis dici possit, cibo, qui ipsum Christum continet coordinandus, sed subordinandus. Est enim omne, quod extra Communionem animam nutrit, aliqua manducatio Eucharistiae mere spiritualis, quae ad Communionem tendit illamque desiderat ut complementum necessarium, necessarium ad vitam conservandam et perficiendam. Audiantur hac de re Salmanticenses: »Hoc ipso quod Eucharistia sit speciali-

ter instituta per modum cibi spiritualis animae, caetera omnia media, sive sacramenta sint, sive auxilia, sive quid aliud, non causant gratiam ut cibantem et conservantem spiritualem animae vitam nisi cum subordinatione ad Eucharistiam, et prout important votum illius. Sicut hoc ipso quod sacramentum baptismi sit per se institutum ad causandam spiritualem regenerationem et purgandum a peccato originali, nulla sacramenta, nulla auxilia, nulla denique alia media possunt praedictum effectum conferre, nisi ut subordinata sacramento baptismi, et quatenus important illud in voto« (De Euch. disp. 3 n. 24).

**Dicunt 4<sup>o</sup>:** Gratia sanctificans est sufficiens causa ad gloriam. Ergo Communio utpote gratiam supponens, non est necessaria ad gloriam obtinendam.

**Resp.:** Distinguo antec. Gratia sanctificans est sufficiens causa gloriae, si quis hic et nunc moritur, **con c.** est sufficiens causa perveniendi ad gloriam, si antea diu in bono perseverandum est, **neg o**; tunc enim exercitium virtutum, oratio, Communio necessaria sunt.

**Dicunt 5<sup>o</sup>:** Auxilia omnia ad peccatum mortale vitandum necessaria gratiae sanctificanti debentur, et ad illa homo jus habet ex ipso statu gratiae.

**Resp.:** Jus habet ad media, quibus illa accipere possit, **con c.** Jus habet, ut immediate omnia illa auxilia accipiat, **neg o**; tunc enim neque oratio esset necessaria, quod est contra Arausicani II. can. 10.

**Dicunt 6<sup>o</sup>:** Concilium Tridentinum declarat: »Nemo temeraria illa et a Patribus sub anathemate prohibita voce uti (debet), Dei praecepta homini justificato ad observandum esse impossibilia« (Sess. VI. cap. 11).

**Resp.:** Dist. Significatur justificatum omnia praecepta gravia observare posse nullis mediis requisitis, **neg o**; certis mediis requisitis et adhibitis, **con c.** Ipsum Concilium gratiam sanctificantem non sufficere supponit, cum immediate pergat: »Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod **non possis**«, ubi alludit ad verba Augustini: »Ideo jubet (Deus) aliqua quae non possumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus« (De gratia et lib. arb. c. 16; ML 44, 900). Sicut autem oratio, ita etiam Communio necessaria est ad omnia praecepta observanda.

**Dicunt 7<sup>o</sup>:** Sancti Veteris Testamenti sine Communionem perseverarunt. Haec igitur non est necessaria.

**Resp.:** Eadem ratione dici posset, baptismum et poenitentiam non esse necessaria. In Vet. Testamento enim sine his sacramentis salvati sunt. Caeterum non perseverarunt neque illi sine aliquo desiderio Eucharistiae quamvis implicito. Perseverarunt enim per desiderium Messiae, regni messiani, Novi Testamenti. Sed »hic calix est Novum Testamentum in meo sanguine«. Illa manducatio hostiae oblatae, quae in sacrificiis pacificis fiebat, erat typus Communionis. Hoc modo manducantes desiderabant Communionem.

**Dicunt 8<sup>o</sup>:** Gratia, quae datur per baptismum, non est minoris efficaciae, quam gratia quae in lege antiqua dabatur in circumcissione. Sed cum hac gratia potuit homo perseverare. Ergo poterit etiam cum illa.

**Resp.:** Gratia baptismi sane non est minoris, sed majoris efficaciae, quum per illam Christo incorporeremur. Sed neque gratia baptismi confert, neque gratia circumcissionis conferebat omnia auxilia ad perseverandum necessaria. Necessaria omnino erat et est oratio. Necessaria nunc etiam est *Communio*, cujus desiderium habebant illi in antiqua lege aliquod implicitum.

**Dicunt 9<sup>o</sup>:** Erant eremitae, qui sine Communionem non tantum gratiam servaverint, sed magnopere se sanctificaverint.

**Resp.:** Illi Communionem recipere non potuerunt vel nesciebant, se recipere debere. In utroque casu votum Communionis habebant saltem implicitum. — Caeterum notandum illud s. Basilii: »Omnes in solitudinibus monachi, ubi non est sacerdos, Communionem domi servantes, suis ipsorum manibus sumunt« (Epist. lib. II. ep. 93 alias 289; MG 32, 486 A).

**Dicunt 10<sup>o</sup>:** Nonnulli sancti medii aevi sanctissime vixerunt, raro communicantes. Sed si cum rara Communionem sanctissime vivitur, possibile videtur, sine ulla Communionem saltem gratiam servare.

**Resp.:** Illi sancti desiderabant tamen unionem cum Christo intimam ideoque votum habebant Communionis frequentissimae et etiam quotidianae, sed moribus tunc vigentibus prohi-

biti sunt, quominus illud desiderium explerent. Nunc temporis communicarent quotidie.

**Dicunt 11<sup>o</sup>:** Experientia constat, multos semel in anno communicantes non tantum gratiam conservare, sed etiam agere vitam christianam valde bonam. Videtur igitur probabile, illos sine Communionem, si non esset praecepta, multo diutius posse gratiam servare.

**Resp.:** Nihil valent hac in re talia argumenta a posteriori. Secus enim posset quis probare, neque baptismum, neque poenitentiam esse necessaria. Posset enim dicere: »Sunt inter Judaeos vel Makometanos, qui gratiam habeant; ergo non est baptismus necessarius. Sunt inter Protestantes, qui post peccata gravia ad vitam valde bonam se convertunt; ergo non est necessarium sacramentum poenitentiae.« Talis modus procedendi evidenter falsus est. Rectus modus hic est: Scimus ex revelatione, baptismum esse necessarium; ergo, si quis non baptizatus habeat gratiam, suo tamen modo, voto scilicet, baptismum participavit. Scimus ex revelatione, sacramentum poenitentiae esse necessarium; ergo, si quis baptizatus post peccatum commissum iterum gratiam recuperavit sine Confessione, tamen illud sacramentum suo modo, voto, participavit. Et eodem modo de Communionem est ratiocinandum: Scimus ex revelatione, Communionem esse necessariam ad gratiam conservandam; ergo, si quis sine Communionem diu gratiam servaverit, tamen suo modo, voto, Communionem participavit; scimus, ad sancte vivendum Communionem sat frequentem esse necessariam; ergo, si quis sine Communionem sancte vivit, participavit tamen suo modo, voto. Communionem sat frequentem, sed circumstantiis vel ignorantia impediatur, quominus illud votum explet.

**Dicunt 12<sup>o</sup>:** Sacramenta habent, sicut causae naturales, effectum infallibilem. Si ergo Communionem praeservat a peccato, habebit illum effectum infallibiliter.

**Resp.:** Habet Communionem (digne recepta) semper effectum infallibilem. Ille autem non est, ut homo peccatum infallibiliter vitet, sed ut confortetur ad peccatum facilius vitandum. Ut peccatum reapse vitetur, voluntas vi accepta uti debet; potest autem non uti; nam manet libera. S. Thomas: »Licet hoc sacramentum, quantum est de se, habeat virtutem

praeservativam a peccato, non tamen aufert homini possibilitatem peccandi.« (III. 79, 6 ad 1.)

**I n s t a n t:** Attamen dicitur, per Communionem dari perseverantiam. Haec autem actu includit evitacionem peccati.

**R e s p.:** Communio non dat perseverantiam ex se sola, sed ut concausa; concausa autem non habet suum effectum, si alia causa necessaria deficit. Aliae causae necessariae hic praesertim sunt oratio, abnegatio sui, libera voluntas.

**D i c u n t 13<sup>o</sup>:** Nulla tentatio assignari potest, quae sine Communionem superari nequeat.

**R e s p.:** Non est necesse talem tentationem assignare. Thesi enim nostra non dicitur *d e t e r m i n a t a* e tentationi non posse resisti (immo dicimus posse resisti), sed per longum tempus non posse resisti omnibus tentationibus collective sumptis per illud tempus occurrentibus. Ita etiam, si contendo inter 100.000 hominum unum saltem intra annum peccaturum, non est necesse, ut hominem, qui peccaturus sit, determinem. Unusquisque enim ex illis potest peccatum vitare, sed tota collectio multitudo non potest.<sup>1</sup>

**D i c u n t 14<sup>o</sup>:** Nulla gratia actualis ad peccatum mortale vitandum necessaria assignari potest, quae ita detur propter Communionem, ut sine illa non habeatur.

**R e s p.:** Non est necesse talem gratiam assignare. Potest enim homo hic et nunc semper sine certa gratia actuali peccatum vitare, quia manet liber. Sed per longum tempus non potest omne peccatum vitare, non quidem propter defectum hujus vel illius gratiae actualis, sed propter defectum conformationis illius, quam sola Communio dare potest, et si vis propter defectum *c o m p l e x u s* gratiarum actualium (non alicujus gratiae certae), qui Communionem consequitur.

**D i c u n t 15<sup>o</sup>:** In antiqua Ecclesia Communio quibusdam per plures annos denegata est; quod fieri non potuit, si illud sacramentum esset necessarium.

**R e s p.:** Nego consequens. Talis enim excommunicatus debuit propter peccata sua enormia videri exclusus a salute, quia exclusus ab Ecclesia, **hoc est ab arca**, per quam solam homo salvatur in diluvio. Et ideo excludebatur a sacramento

<sup>1</sup> Vide quae diximus Bogoslovska Smotra XII. (1924.) pg 52 Annos.

necessario Eucharistiae. Licita erat talis exclusio, quia non erat absoluta exclusio a salute; potuit enim iste voto Eucharistiam recipere et voto cum Ecclesia se conjungere. Caeterum videtur omnino, talibus excommunicatis etiam absolutionem sacramentalem denegatam fuisse. Numquid propterea sacramentum poenitentiae non est necessarium?

**Dicunt** 16<sup>o</sup>: Eucharistia est finis; ergo non medium.

**Resp.:** Communio est et finis et medium, sed relate ad aliud et aliud. Finis est relate ad alia sacramenta, praesertim ad baptismum et Confirmationem, quae ad illam tendunt; medium est relate ad finem ulteriorem, ad coelestem patriam; est enim viaticum necessario sumendum, ne deficiamus in via.

## **II. Rationes theologicae quibus suadetur s. Communionis necessitas medii (ad perseverandum).**

**1. Ex analogia cibi naturalis:** »Omnem effectum, quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando et delectando, sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem« (Concilii Florentini Decretum pro Armenis). Si cibus eucharisticus talem habet cum cibo materiali similitudinem, mirum esset, si similitudo non ad hoc extenderetur, ut uterque cibus esset necessarius ad vitam suam conservandam. Hoc non conveniret paedagogiae sapientiae divinae.

**2. Ex conditione hominis:** Homo etiam justificatus est valde fragilis et tamen propensus ad superbiam. Convenit, ut Eucharistia sit cibus necessarius et medicina necessaria. Cibus necessarius, ut homo sciat, se sibi non esse sufficientem, sed vitam suam a cibo, qui Christus est, dependere. Medicina necessaria, ut sciat se esse infirmum et virtute Christi indigere.

**3. Ex SS. Eucharistiae excellentia:** Post SS. Trinitatem et Incarnationem continet Eucharistia maximum religionis nostrae mysterium, estque opus omnipotentiae divinae summo-pere admirabile. Tale opus debet habere finem correspondentem, et magnificum. Hic finis est, ut per Eucharistiam, in quantum fons est omnis gratiae, Christo incorporemur; est enim »incarnationis continuatio quaedam et amplificatio... Siquidem per ipsam incarnati Verbi substantia cum singulis

hominibus copulatur» (Enc. Leonis XIII. Mirae caritatis, a linea Ex hoc autem). Hunc effectum primo habet per manducationem mere spiritualem; per hanc enim vita spiritualis inchoatur. Sed etiam visibilis hujus excellentissimi sacramenti effectus dignus constituendus erat, qui alius non erit, quam vitae spiritualis conservatio et perfectio, et quidem ita, ut ad hunc finem sit illa visibilis manducatio necessaria. Qui hanc Communionis necessitatem negant, tenent, nullum effectum Eucharistiae esse necessarium. Sed tunc dicere licebit, Deum quidem quotidie per transsubstantiationem tam admirabilia operari, sed nos proprie loquendo illis non indigere.

4. **Ex unitate corporis mystici:** Vita spiritualis in Novo Testamento non agitur nisi in unitate corporis mystici, qua cum Christo ita conjungimur, sicut cibus et maducans ad unum corpus uniuntur. Per Communionem haec unitas symbolizatur. Convenit, ut a Communionem etiam, in quantum consentaneum est, dependeat. Si enim homo scit, Communionem sibi esse necessariam, sciet, se debere esse cum Christo conjunctum, sicut conjunguntur cibus et manducans. Si opinatur, Communionem non esse sibi necessariam, facile putabit, illam conjunctionem sibi non esse necessariam. Debit igitur veritas de necessitate unitatis corporis mystici per Communionis necessitatem sustineri. Revera per Communionis neglectum et per opinionem, illam non esse necessariam, veritas de unitate corporis mystici non amplius tam vivida mentibus nunc inhaeret quam primis saeculis christianis.

5. **Ex ratione sacrificii:** Sacrificium est centrum religionis; unde secundum s. Paulum sacrificium ita cum oeconomia connectitur, ut translato sacrificio et sacerdotio, oeconomia transferatur necesse sit (Hebr. 7, 12). Inde Christiani essentialiter sunt regale sacerdotium (I. Petr. 29). Sacrificium autem nostrum est sacrificium eucharisticum, quod exigit, ut donum oblatum manducetur. Pertinet itaque talis manducatio omnino ad vitam christianam. Ut autem ita pertineat, necesse sit, ut sine illa manducatione vita christiana agi non possit. Qui diu manducare respuit, separat se ab illa gente sacerdotali, a societate eucharistica, ab Ecclesia, a Christo. Debet igitur vita gratiae in eo evanesci.



6. **Ex eo quod Eucharistia est fons omnis gratiae**, ut ex multis documentis apparet: Si tota vita supernaturalis a pane visibili dependet, convenit, ut saltem ex magna parte a visibili hujus panis manducatione, a Communionem dependeat. Non convenit autem ut inchoatio vitae spiritualis a Communionem dependeat. Communio enim significat amicalem cum Christo et Deo unionem. Qui autem ad vitam illam inchoandam accedit, ut peccator accedit. Magni momenti est, ut hoc exprimatur. Propterea ad vitam inchoandam instituta sunt baptismus, qui est veteris hominis mors atque sepultura, et poenitentia, qui est absolutio peccatoris. Remanet, ut vita spiritualis ita a Communionem dependeat, ut sine illa conservari et continuo perfici non possit.

7. **Ex sacramentorum ratione et fine**: Gratia conferenda in Novo Testamento quam maxime ad sacramenta alligatur. Concilij Tridentini Sessio VII, ubi de sacramentis agitur, ita incipit: »Ad consummationem salutaris de justificatione doctrinae, quae in praecedenti proxima sessione uno omnium Patrum consensu promulgata fuit, consentaneum visum est de sanctissimis ecclesiae sacramentis agere, per quae omnis vera justitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur. »Et Catechismus Romanus ad quaestionem, cur sacramenta institui oportuerit, ita respondet: »Tertia causa fuit, ut illa tanquam remedia, ut scribit s. Ambrosius, atque Evangelici Samaritani medicamenta, ad animarum sanitatem vel recuperandam vel tuendam praesto essent. Virtutem enim, quae ex passione Christi manat, hoc est gratiam, quam ille nobis in ara crucis meruit, per sacramenta, quasi per alveum quendam, in nos ipsos derivari oportet; aliter vero nemini ulla salutis spes reliqua esse poterit« (P. II cap. 1 n. 14). Iam vero, si ita est, gratiam servare, jugiter fovere, atque jugiter e Christo vivere, sicut palmes vivit e vite, certe alligatum erit ad aliquod sacramentum, quod non potest esse nisi Communio.

8. **Ex dignitate sacramentorum**. Ad hanc tuendam requiritur, ut effectus, ad quos habendos instituta sunt, nonnisi per illa haberi possint. Effectus autem, ad quem Communio instituta fuit, est, uti ex Traditione et cibi ratione patet, imprimis vitae spiritualis conservatio. Ad hanc igitur erit necessaria.

9 **.Ex necessitate Ecclesiae:** Vita spiritualis tota dependet ab Ecclesia. In sua inchoatione dependet a sacramentis baptismi vel poenitentiae. Nullatenus convenit, ut homo in vita sua ulteriore quasi independens et solutus ab Ecclesia appareat. Oportet igitur, ut sit aliquod sacramentum iterum et iterum accipiendum, a quo illa vita ulterius dependeat. Hoc autem est Communio.

Est igitur Eucharistia etiam secundum suam visibilem manducationem pars essentialis oeconomiae nostrae salutis, et non tantum, sicuti theologi ejus intrinsicam necessitatem negantes volunt, res aliqua ab extrinseco per praeceptum addita, quasi agglutinata.

**Aem. Springer S. J.,** prof. theol., Sarajevi.

